



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij
Francisci Lamberti Auenionensis**

Lambert, François

Argentorati, 1525

VD16 B 3868

Pars Septima. Septimo, prophetat de insigni gloria & abundantia populi
Israel.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35983

F R A N C · L A M B · I N A M O S

tis, quod in compluribus scripturæ locis, palam est cerne
re. Sed quis eorum non inuocauit, pro Israële Dei nomine?
Sentiet quisq; quod bonum sibi uidebitur, ego id omnino
sentio, sanctos ipsos præcognouiſſe multas Israélis præua
ricationes, timueruntq; proinde, ne à Domino propelle-
rentur, et perpetuo abiicerentur. Propterea omni instan
tia orarunt Dominum, ne omnino disperderentur. Quod
et illis paſſim Deus promisit, sicut pius lector in diuinis
scripturis, nullib; non offendet, præſertim in Prophetis.
Hinc quoq; hic sermo prodijt, quo Dominus hec pro-
mittit, que noster Propheta ſcripsit, eò quod sancti nome
eius ſuper eis inuocarint.

P A R S S E P T I M A

Ecce dies uenient, dicit Dominus, & com
prehenderat orator meſſorem, & calcator uen
mittentem ſemen. Et fillabunt montes dul
cedinem, & omnes colles culti erunt. Et con
uertam captiuitatē populi mei Israel, & æ
dificabunt ciuitates desertas et inhabitabūt,
et plantabunt uineas, & bibent uinum ea
rum. Et facient hortos, & comedent fructus
eorum. Et plantabo eos, ſuper humum ſuā,
& non euellam eos ultra de terra ſua, quam
dedi eis, dicit dominus Deus.

Si quis

COMMENTAR. CAPUT IX. 33

Si quis hæc tentat enarrare, de instaurazione duarum tribuum, post captiuitatem Babylonicam, id frustra facit. Nunquam enim fieri potest, ut recta sit interpretatio hæc. Primum, quod non de solo Iudeo capiatur Secundo, quod neque etiam ipse populus Iuda, permanescit, in terra sua, sed in omnes nationes dispersus fit, hic autem dicit, quod plantabuntur super humum suam, & ab eane quaquam ultra euellentur. Non est igitur sana, eiusmodi expositio.

Alij quoque sic hos textus, de fidelium populis explanat, tot mendacia congerentes, ut potius de Satanae Synagogæ, quam de Seruatoris Ecclesia sit ipsa explanatio, presertim, quo ad alias partes eius. Dicunt enim, quod per ciuitates, status coniugatorum: per vineas status prælatorum & magistrorum, & per hortos status monachorum, quasi superbia & ampulla magistrorum, secheraque monasticæ, à Diabulo contra Dei verbum non sint confitentes. Deus quam frugiferæ vineæ, et quam placidi horiti. Sed quid est ita oportuit cucullatos etiam in Dei scriptis cum tot horrendis mendatijs insanire, & germanos illorum sensus euertere. Nam & ab eis maxime, hæc insanitas prodijt. Ego aliud omnino sentio, nempe quod sicut diximus, Israël in dierum nouissimo conuertetur, & forsitan dies in tanuis sunt. Quandoquidem ingressa in Ecclesiæ amplitudine geniuū, mox futura est Israëlis conuersio, et simul se Christo subiiciet, ac toto corde illi adhærebuntur. Quis autem dubitat, multos filiorum Israël, tum uenturos in terram

FRANC. LAMB. IN AMOS

in terram suam? Denique ueri fideles sunt heredes mundi, quod sint Abraham semen, cui promissa est mundi hereditas. Roman. quarto. Et ideo ubi cuncti fuerint, erunt in terra sua, à qua minime euellentur, Nam et post extremum iudicium, erit in electorum gloriam mundus totus. Non quod ut nonnulli ppteram scripsierunt, dicā eos post iudicium, ducturos uxores, comeduros, bibituros et cetera. Sed quod et cœlum, et terra, et omnia creata, in eorum gloriam conuertentur, pro quibus etiam maxime facta sunt. Tum et in montibus Israël, et in alijs terris, in quibus sancti erunt, prouidebit Deus Optimus Maximus, in quem credent, et cui hererebunt, de necessariis cunctis, praesertim de his, quæ fami uerbi Dei, cuius præcepta continent, sunt opposita, nempe germanum sensum, ipsius uerbi, et in omnibus spiritum cœlestis sapientiae et intelligentiae ueritatis. Nimurum per unum, triticum, et frumentum hortorum, uarijs respectibus, Dei eloquia significantur, quemadmodum in fine capituli secundi. ¶ Se et diximus. Porro messores et calcatores uiae, aut uinitores, sunt fidèles ministri et interpretes, eiusdem uerbi. Nic dicitur. ¶ Se. 2. Et dabo ei uinitores eius ex eodem loco. Dulcedo autem eiusdem uerbi suauitas est, quemadmodum lohe. 3. super simili textu diximus, quæ dulcedo, à montibus, id est, amioribus et rectoribus Ecclesiæ maxime proficietur. ¶ Uere felicissimos dies, in quibus ab ipsis Ecclesiæ primoriis, non mendacia hominum, non sophismata execrabilia, ut hactenus, sed dulcedo sermonum Altissimi continet.

COMMENTAR. CAPUT IX. 89

fluet. Et colles, id est, minores, eisdem sermonibus, quasi
aratro proscindentur, & culti erunt. Tum conuertetur
populi Israël & omnium electorum captiuitas, dum per
CHRISTVM liberi fient, à detestabili captiu-
tate errorum & hæresum, in quibus eſe, quid nif grauiſ-
sima captiuitas est?

Et edificabunt &c. Ciuitates, uineæ, & horti, Chri-
sti Ecclesiæ sunt. Non enim potest intelligi, de ciuitati-
bus, uineis & hortis, iuxta literæ superficiem, quod non
sunt deserti externe, sed de pernicioſissima deserio, que
per haec figuratur, quemam in regione Israël, quam in uni-
uersis terris, multis ſeculis fuit. Hec desertio eſt, u-
bicunque non regnant impolluta, æterna, & admirabilia
scripta Dei, sed pro eis mendacia & figmenta hominum
ſunt recepta. Sic nunc deserti ſunt omnes montes, colles,
& ualles Israël, quod in eis non reperiatur ueritas. Sic
quoq; in hunc usque diem, omnes mundi regiones desertæ
ſuere: nunc autem ueritate palam facta, ceſſat ipsa deser-
tio: quod illi experientur, qui ipſius ueritatis ſiunt parti-
cipes. Incipiunt enim instaurari desertiones ciuitatum,
id est, Ecclesiæ, & in eis quasi in uineis, plantantur
uitæ, & quaſi horti amoenissimi ſiunt, dum multi indies
fidelium numero adiunguntur: & ciuitates nouæ edifi-
cantur, aut desertæ instaurantur, dum que ante ueritatæ
tem odiebant, & solo ſpiritu erroris plenæ erant, ipsam
ueritatem toto corde amplectuntur, quod potiſſime tum

M fiet cum

FRANC. LAMB. IN AMOS

fict, cum Israël ad Christum fuerit conuersus, & defecerit
ab erroribus suis.

Instaura Domine I E S V Israëlem, instaura & totum
orbem spiritu ueritatis tue, ut omnes unanimiter curras
mus post te, & glorificemus nomen tuum. Da nobis
optime S E R V A T O R, ut uideamus gloriam ad
sumptionis Israëlis, quæ mundo erit, quasi uita
ex mortuis, ut sub te uno pastore perfectissi-
mo, uiuat totus orbis, & in nobis omnibus
regnes, cui cum patre & spiritu
sancto sit gloria, decus, & impe-
rium in secula seculorum.

A M E N.

F I N I S.

Francisci